

1193

Lecton Dr. jur. o.
J. P. D.
FRIED. AUGUSTUS
LUEDECKE,
J. U. D. & CURIAE ELECT.
ADVOC. ORDIN.



557R.

THESES (LXXII)

EX PHILOSOPHIA PRACTICA,
DE

RATIONE STA-
TUS PRIVATI,

quas

annuente Deo,

permissu Amplissimi Philosophorum
Ordinis,

in celeberrima ad Albim Academia

PRÆSES

HENRICUS ERNE-
STUS Seebach /

LL. A. Mag. & Jur. Utr. Cand.

RESPONDENTE

CHRISTIANO TILEMANNO,

Belgera-Misnico,

publicæ Eruditorum disquisitioni subjicit

Ad D. 2. Aprilis An. M.DC.XCII.

H. L. Q. C.

WITTENBERGÆ,

Typis JOHANNIS MICHAELIS GODERITSCHII.



V I R O

Nobilissimo, Amplissimo & Consultissimo,

DN: ZACHARIAE

Döringen/

Jur. Utr. Doctori celeberrimo, inclytæ

Torgaviensis Civitatis Consuli Gravissimo,

ac Syndico dexterrimo,

Domino Avunculo & Patrono suo

ad cineres usq₃ colendisimo,

hanc Philosophicam dissertationem

in debita observantia tesseram

offert & consecrat

PRÆSES.



I. N. J.

Th. I.

Quemadmodum Status, in quo vivunt mortales, in publicum & privatum distinguitur, nec non quædam publicè, quædam verò privatim utilia sunt. *L. 1. §. 2. ff. de I. & I.* sic quoque utilitati invigilandi prudentia

seu Ratio Status duplex est: Ratio status publici & Ratio Status privati. De illa haud ita pridem theses quasdam exhibui. De hac vero in præsentī disputatione tractare lubet.

Th. II. Est autem Ratio Status privati prudentia proprio suo invigilandi commodo. Atque exinde statim elucescit, quod tum demum ex vera Ratione Status privati fecisse aliquid dici possimus, cum non tantum statum perfectiorem quærimus, atque in eodem nos conservare studemus; verum etiam Justitiæ pariter atque Ordinis & Decorī legem nunquam commodo nostro postponimus. Quoniam enim ista Ratio Status privati prudentia est, ex qua, tanquam limpidissima scaturigine, Justitia, Ordo atque Decorum derivantur; idcirco ipsam utique esse oportet *1. Justam, 2. Ordinatam & 3. Decoram.*

Th. III. Primum igitur requiritur, ut injustum quid, tam-
etsi nobis utile sit, neutiquam tamen suscipiamus. Quicquid
 enim bonis moribus contrariatur, illud nec facere nos posse, credendum est. *L. Filius 15. ff. de Condit. Instit.* Quemadmodum autem justus nec erga Deum, nec erga Proximum, nec erga Seipsum officium suum negligit; ita quicquid istiusmodi officio adversatur, id est vel Deum vel Proximum vel Nosmetipsos lædit, illud, etiamsi aliā viā expedire videatur, nihilominus tamen injustum & per consequentiam prohibitum erit.

A 3

Th. IV.

Th. IV. Adversus Deum proinde utilitatis propriæ gratia non minus peccavit Pilatus condemnando Iesum innocentem, quam Lothi utraque filia concumbendo cum patre temulento. *Genes. XIX.* Nec sine causa in Ferdinando Catholico, Rege Hispaniæ, prudentissimo alias & felici Thuanus *Histor. Lib. I. ad an. 1516. p. m. 7.* fidem desiderat, quippe *qua sub colore religionis, quam omnibus actionibus suis semper prætexebat, ad ambitionem & inexplebilem propagandi imperii cupiditatem miræ calliditate abusus est.* Id quod Euphormio etiam in *Icon. animor. Cap. 7.* annotavit, *Illæ, inquit, velut præfatione in omnium rerum cœpta tanquam in scenam & tragœdiam (Reges Hispaniæ) intrant. Ferdinandus & Isabella hunc jam patrium morem Nepotibus tradiderunt.* Caterum uti nec contra jus Divinum ex Ratione Status privati dispensatio locum habere potest; ita exinde facilè apparet, partim quo jure Ferdinandus II. Aragonius, Rex Neapolitanus, recuperato regno, ut res suas cum Hispaniæ Rege, Ferdinando, arctiori vinculo stabiliret, Pontifice, Alexandro VI. dispensante, Johannam, avi sui & Johannæ, ejusdem Regis sororis filiam uxorem ducere potuerit; *Vid. Francisc. Guicciardin. Histor. Ital. L. II. ad an. 1495. Mens. Jul.* partim qua conscientia Basilicus Poncius, Casuista Hispanicus *Tr. de Matrim. Disp. XXVII. Diff. V. n. 12.* publicè scribere ausus sit: *Si Hispania Princeps cum ex una parte digna tanta Regia majestate uxor non esset, & sine gravi inconvenienti juxta prudentum estimationem etiam adhuc illam ducere non posset, & ex alia parte illæ, quæ pari conjugio copulari possint, essent aut heresi infectæ aut suspectæ, unde probabile periculum immineret &c: posse justè dispensari, ut sororem ducat, maxime si uterina non esset.*

Th. V. Quemadmodum autem non Deum lædere; ita nec jus proximi tollere debet Ratio Status nostri privati. Contra quam tamen regulam multi aperta vi, plures verò consilio raudulento peccare solent: quod non tantum Historia Pseudo Seba-

1725
Sebastianorum in Portugallia *Vid. Chiffletius in Tenuario expen-*
so C. 7. 8. & 9. & PseudoDemetriorum in Russia *Vid. Olear. in I-*
tiner. Persic. & Petr. Petrejus in Chron. Rer. Moscovit. verum et-
iam omnis ætas partus supposititii, & aliarum, quæ dolosè sub-
ornatæ fuerunt, personarum exemplis satis abundè comprobant.
Ita testante Claro *L. III. §. Testamentum. qu. 59. n. 1. fol. 84.* mu-
lier quædam astuta maritum ab intestato defunctum statim ex
lecto extraxit, atque in locum ejus alium vivum hominem sup-
posuit, qui capite pannis involuto & fenestris cubiculi probè
clausis, se vix loqui posse simulans, in præsentia Notarii non
secus ac si ipse verus maritus esset, testamentum fecit, inque eo
foeminam istam callidam heredem instituit. Nec fraude mino-
ri creberrima in regno Pontificio spectra eum in finem suborna-
ri solent, ut miseri Laici aut vota Divis facta persolvant, aut suo-
rum animas aliquot missis magna pecuniæ summa redimendis
ex purgatorio liberent. Quemadmodum egregium istiusmo-
di a Franciscanis monachis Aureliæ in Galliis subornati spectri
exemplum recenset Sleidanus *in Comment. de stat. Relig. & Rei-*
publ. Lib. IX. ad an. 1534.

Th. VI. Caterum ad uberiores præcedentis regulæ de-
clarationem facient, ni fallor, sequentes quatuor limitationes,
quarum primam generali hocce axioma proponere lubet: In
quantum proximus jus suum adversus nos facto suo amisit, in tan-
tum utilitatem nostram etiam cum damno ejus promovere possu-
mus. Atque assertum hoc non tantum illustratur, verum et-
iam comprobatur exemplo Jacobi, qui ob detentam a Labano
mercedem *Genes. XXXI. 41.* instinctu Divino *Genes. XXXI. 12.*
versicoloribus baculis pro grege suo augendo usus est. *Genes.*
XXX. 37.

Th. VII. Secundam limitationem includam regula tali:
Quousque proximus suo adversus nos juri renuntiavit, eousque
commodum nostrum etiam cum damno ejus querere possumus. Nam
A 3 uti

uti juri suo renunciare cuilibet licet *L. 5. C. de Episcop. & Cler.* ita volenti non fit injuria. *L. Nemo. 145. de R. I.* Ubi tamen probè notandum, quod etiam si proximus plenè consentiat, nos nihilominus tamen non aliter, quam si consentire possit, juri ejusdem ex ratione Status privati derogare valeamus. Quamvis proinde maritus vel centies consentiat, nunquam tamen uxori in ipsius, suamque insignem utilitatem cum alio, a quo forte opem & salutem sperat, concumbere licet. Cujusmodi casum, qui tempore Constantii Antiochiæ contigit, recenset Dn. Becman. in *Dissert. de Exuperant. obseq. Cap. II. §. 11.*

Th. VIII. Tertiam supradicti asserti limitationem sequenti modo efferre placet: *Quoties proximus adversus nos jus aliquod prætendit, revera autem jus nullum habet, toties eum, qua adversarium nostrum, ex ratione status privati decipere possumus.* Ita enim injuriam ipsi non inferimus, sed imminentem nobis justa defensione propellimus. Unde & Advocatum habentem justam causam posse decipere adversarium, ait Tiraquell. in *prefat. tract. in Retract. des lignag. n. 20.* Cujus rei lepidum exemplum refert Brederodius in *Cautelis judicialibus Tit. VII. p. m. 695.* Nam cum artifices nonnulli palatium quoddam super viam publicam ædificantes, altis quidem vocibus: *Cavete! Cavete!* exclamassent, nihilominus tamen imprudens quidam transire ausus, in transitu verò lapide uno percussus esset, hic omnes artifices accusavit, ipsimet autem consuluerunt Jurisperitum, Pyleum, qui, cognita facti specie, Non, inquit, deficit jus, sed probatio, *L. Duo sunt Titii. 30. ff. de Testam. tut.* interim cras coram Judice nolite, etiam ab eo interrogati, ullum proferre verbum, sed me solum loqui permittatis. Quod ubi postea ex composito artifices fecerunt, & tamen Judex accusatorum responsionem urisit, ipse Pyleus, Domine, inquit, non poterunt respondere, quia omnes muti sunt. Cumque adhuc regereret accusans: Non est verum, Domine Judex, quando enim

enim percussus sum, audiui eos loquentes & exclamantes: *Cavete! Cavete!* tunc Pyleus propriam ipsorum judicialem confessionem ad Acta redigi jussit, atque hoc eleganti commento litis victoriam feliciter reportavit per *L. si putator. 31. ff. ad L. Aquil.*

Th. IX. Quartam denique limitationem trado per hancce. Regulam generalem: Quoties in re mea subsistens jus meum persequor aut exerceo, toties, utut exinde per accidens damnum sentiat proximus, nihilominus tamen utilitatem meam querere possum. Ratio, quia jure suo utens nemini facit injuriam. *L. 13. §. 1. ff. de injur.* exemplo illius, qui in fundo suo puteum fodiens vicini putei venas præcidit *L. Fluminum 24. §. ult. ff. de damn. infect.* Atque regulæ istius veritas non tantum ex moderamine inculpatæ tutelæ, verum etiam ex Jacobi Esavo benedictionem præripientis historia *Genes. XXVII.* abunde satis elucescit. Cum enim Jacobo partim benedictio ista ab ipso Deo destinata *Genes. XXV. 23.* partim verò jus primogenituræ ab Esavo jam venditum esset, *Genes. XXV. 33.* Jacobus jus suum prosequendo nemini fecit injuriam. Non Esavo, quippe cui benedictio non competebat; nec Isaaco, quoniam in hujus arbitrio positum non erat, pro libitu benedicere, cui vellet. Atque ex his simul apparet, quod nec Gibeonitæ peccaverint, qui *Jos. IX.* ab Israelitis obliqua ratione pacem impetraverunt. Præterquam enim, quod jure suo usi fuerint, i. e. contra vim hostium ab interitu se conservare studuerint; hoc ipso fecerunt, quod omnibus licet, nec jus hostium læserunt. Quippe tantum occulta via quærebant pacem, quam etiam aperta impetrare potuissent, quoniam *Deut. XX. 10.* Deus expressè voluit, ut Ebræi hostibus pacem offerant, eosque, si illam acceptent, ad tributariam conditionem recipiant. Cumque præterea ob violatam à Saulo jurisjurandi religionem, quò datam Gibeonitis pacem Israelitæ confirmaverant, Deus populum suum Davidis tempore

pore gravissima fame affligerit, *II. Samuel. XXI.* oportet certò non tantum juramentum istud, sed etiam ipsum actum, cui accessit, fuisse validum, quoniam juramentum sequitur naturam actus, cui adjicitur. *Conf. Grot. de J. B. & P. L. II. cap. 13. n. 4.*

Th. X Quod autem circa justitiam Rationis status privati reliquum est, illum uti nec pietati, nec juri proximi detrahere aliquid; ita nec officio, quod homo sibi met ipse debet, contrariari oportet. Unde ab avthochiria non excusantur foeminae, quæ ad pudicitiam defendendam liberum mortis arbitrium occupant. Quod tamen foeminae quædam Antiochenæ *Euseb. Lib. VIII. Histor. Eccles. C. 24. junct. Baron. Annal. tom. III. ad an. Dom. 303.* quædam Aquilejensis, nomine Dugna, *Paul. Diacon. Lib. XV.* alia Romana sub Maxentio, Cæsare, *Euseb. in vita Constant. C. 28.* novissimè autem mulieres Rigenses *Cluver. ad an. à Nat. Christ. 1656. p. m. 821.* intrepidè fecerunt, & quod mirum est, olim ex sanctis Patribus nonnulli comprobaverunt. Quippe Ambrosius *lib. III. de Virg.* Pelagiam, virginem Antiochenam, propter illatam sibi stupri avertendi gratia mortem laudat, & Hieronymus *in Commentariis ad fin. Cap. 1. Jona.* testante Can. *Non est nostrum. II. Caus. 23. quæst. 5.* inquit: *Unde & in persecutionibus non licet mihi propria perire manu absque eo, ubi castitas periclitatur.* E contrario non peccasse videtur Hidda, Geronis, Lusatiæ Marchionis avia, dum mortuo marito, Christiano, an. 1015, Hierosolymam profecta, ne Regi Ægypti placeret, vulneribus ipsa sibi foedavit faciem. *Reusner. in Annal. urb. Misn.* Nam & abscindere membrum aliquod ad se conservandum aut majus malum evitandum utique homo potest. *Molin. de J. & J. tom. IV. tr. 3. Disp. 1. n. 4. p. 511. & Disp. 10. p. 558. Paul. Layman. in Theol. moral. Lib. III. tr. 3. p. 3. C. 1. n. 2. p. 388. Diana tom. VIII. tr. 5. Resol. 57. & seqq.* Quemadmodum exempli gratiâ quidam olim milites Lusitani in extrema necessitate dentibus sibi

1729
sibi excusis ad ulteriorem sui defensionem loco plumbea-
rum glandinum usi fuerunt. *Less. de J. & J. Lib. II. Cap. 9.*
dub. 14. n. 10. p. 84.

Th. XI. Postquam ita fusius paulò, quam mihi pro-
posueram, regulis pariter atque exemplis demonstravi,
quam arctò semper vinculo Rationi Status privati juncta es-
se debeat Justitia; Nunc etiam, quamvis paucissimis, con-
siderandum venit secundum ejus requisitum, videlicet Or-
do. Tametsi enim utilitas quædam nec Deum lædat, nec
jus proximi tollat, nec officio, quod quis sibimetipsi de-
bet, adversetur; attamen præterea non aliter licita erit,
quam si utilitati publicæ subordinata sit. Nam quoniam
Reipubl salus suprema lex esse debet *L. 5. ff. de Decret. ab*
Ordin. faciend. idcirco meritò utilitas publica præferen-
da est utilitati privatæ *L. 3. C. de Primipilo.* Unde jure
optimo prohibentur monopolia privata *L. un. C. de Monop.*
Recess. Imper. de an. 1577. tit. 18. & certa poena coercen-
tur flagellatores annonæ. *L. 2. §. fin. ff. ad L. Jul. de An-*
non. L. 37. ff. de Pœn. Ita tamen, quod bene notandum,
publicam privatæ antepondere debemus utilitatem, ut Ra-
tio Status privati non fiat injusta. Id quod contingeret,
si quis exempli gratia ex nautis vel militibus navalibus ma-
lit proprio pulveris tormentarii incendio suam, cujus ta-
men dominus non est, perdere vitam, quàm vivus ve-
nire in potestatem hostium cum detrimento publico.
Quamvis enim pro Republ mortem oppetere non tan-
tum licitum, sed etiam gloriosum sit; attamen, cum ne-
mo se occidendi potestatem habeat, idcirco non aliter,
quam juxta fortitudinis leges & præsuppositâ semper spe
evadendi homo pro salute publica se vitæ discrimini ex-
ponere potest, utut mors, quam non directò appetit,
per

per accidens superveniat. Atque asserto huic neutiquam obstare videtur exemplum Samsonis *Jud. XVI.* nec enim hic se ipsum interfecit, quippe cujus vires tanto edificio prosterendo non sufficebant, sed Deus per illum tanquam instrumentum, infirmum tamen & minus sufficiens, stragem istam edidit. *Dr. Simon. Diss. de just. hom. circa suamembr. Cap. II. tb. 13.*

Th. XII. Sequitur nunc tertium Rationis Status privati requisitum, scilicet Decorum. Quemadmodum enim, quod licet, non statim etiam decet; ita quantumvis aliquid sæpius utile nobis sit, atque licitum, non aliter tamen admitti debet, quam si etiam fuerit decorum, id est statui nostro conveniat. Ita quamvis Thuanus *Lib. XXI. ad an. 1558. p. m. 402.* nullum perfecti magis & ad omnem virtutem expressi Principis exemplar nostræ & retro seculorum memoriæ extra Carolum V. reperiri posse agnoscat, *Cautior tamen*, paulo post inquit, *interdum Cæsar, & supra, quam in illa fortuna decuit, versutior plerisque visus est. &c.* Reprehenditur in eo vulpinus ille per Gallias transitus, in quo ad Gandensium motus componendos properans Anne Momorantio imposuit, qui porro a Cæsare deceptus Franciscum ludificatus est, ob idque postea domum relegatus est. Sed objicitur præcipue Philippi, Has-
forum Principis, captivitas, qui totum quinquennium contra datam fidem cavillatoris scripturæ obtentu in arctissima custodia Hispanorum ludibrio expositus fuit. Nec minus contra Decorum peccat maritus ex Ratione Status privati imperium in se relinquens uxori; quippe quod ipsam naturam evertit & abjectissimi ingenii virum notat. Quandoquidem juxta Democritum apud Stob. *Serm. 72. mulieris imperio subjectum esse, extremum est viro dedecus.* Qua-

Quapropter magna contumelia erat Dacorum, qui cum adversus Bastarnas, Sarmatiæ Europæe populos ad Borysthenem fluvium, quorum fit mentio apud Plin. *Lib. IV Cap. 12.* & Strab. *VII. pol. L. III. C. 51.* malè pugnassent, jubente Olore, Thraciæ Rege, ob ultionem segnitiae ministeria uxoribus, quæ ipsis antea fieri solebant, facere cogebantur. *Justin. Lib. XXXII.* Interim tamen illud, quod de imperio maritali dictum est, neutiquam trahi debet ad conjugia inæqualia cum Reginis hereditariis inita: quippe ubi imperio publico privatum non secus atque lumine majore minus obfascari solet. Quando enim hereditariæ Reginae privato aut alii inferiori nubunt, illud non animo transeundi in mariti potestatem atque familiam, sed tantum prolis suscitandæ gratia faciunt. Unde & istiusmodi inæqualis conjux non obstante charactere suo Reginae subditus est, nec proinde Rex, sed tantum Reginae maritus vocari solet, uti nec præterea nomen ejus simul cum nomine Reginae in Actis & Instrumentis publicis conjungitur, nisi id forte ex benevola Reginae voluntate fiat, quæ tamen semper mutabilis est, testante exemplo Henrici Stuarti, Comitis Darlii. Nam cum hujus autoritas arte Ritzii apud Mariam, Scotiæ Reginam, vilesceret, Reginae nomen prius & secundo loco Regis titulus positus. *Lundorp. in Contin. Sleidan. L. V. p. 622.* Quin tandem Regis nomen in nummis signandis omnino omitti cœpit. *Camden. p. 1. Histor. Elisabeth. ad an. 1567.*

Th. XIII. Sed a tramite revertendo in viam tandem hanc generalem Regulam pono: Quotiescunque unum ex supra traditis Requisitis deficit, toties Ratio Status privati corrupta & consequenter illicita est. Latet autem defectus ille vel tantum in actionum privatae utilita-

tis gratia a nobis susceptarum *sine*; vel tantum in earum *medio*; vel denique *in utroque*. Ita exempli gratia finis vitio laborabat, quando Jesuitæ ideo tantum in Japonia propagabant religionem Christianam, ut occasione ejus summâ rerum potirentur. E contrario medium, quo Lothus *Genes. XIX. 6. & seqq.* duos hospites suos a nefanda Sodomitarum contumelia vindicare studebat, probari non potest, dum filias suas improborum effrenatæ libidini turpiter prostituere volebat. Nec unquam enim facienda sunt mala, ut eveniant bona. In utroque autem, videlicet tam *sine* quam *medio*, vim suam exerebat peccatum Protoplastorum, qui Deitatem injustè affectantes mediis prohibitis usi sunt. Nec aliud dicendum de adulterio ViceCoitis, Paulini atque Panatiæ, Reynessii conjugis, in Gallia, qui ad molliendam facinorum atrocitatem matrimonii, quam primum fieri posset, inundi vinculo contaminatas animas obstringebant literis secundum Gramondum *in Histor. Gall. Lib. 2. ad an. 1616. p.m. 141.* sequenti modo conceptis:

Nos Rapistagnus Vice Comes Paulini, & Castelpersia de Panato, fidem mutuò astringimus matrimonio palam contrahendo, ubi primum occasio dabitur: Et quò plenior sit fides, quò item obligatio firmitior, consummationem antecedere placet ex pacto. Castelpersia, Rapistagnus. Kalend. Januarii anni 1616.

Th. XIV. His ita præsuppositis Requisitis, status pri-

1733
privati Ratio nunquam corrupta, sed recta semper, omni-
que jure permessa erit. Et quidem jus naturæ quod atti-
net, studium se conservandi, suoque invigilandi commo-
do animantibus connascitur omnibus. Unde non tan-
tum. M. Tullius Cicero Lib. II. de finib. *Omne animal,*
inquit, simul ut ortum est, & seipsum & omnes partes suas
diligit, &c. Verum etiam elegantissimè Grot. de J. B.
& P. L. I. Cap. 2. lib. 1. n. 1. ita scribit: *Simul atque natum*
est animal, ipsum sibi conciliatur & commendatur ad se con-
servandum atque ad suum statum, & adea, quæ conservan-
tia sunt ejus status, diligenda. Alienatur autem ab inte-
ritu, iisque rebus, quæ interitum videantur afferre.

Th. XV. Quemadmodum autem naturali; ita &
Divino jure suam utilitatem quærere licitum est homini.
Quod partim exemplis Sanctorum probatur, dum Abra-
ham Genes. XX. 11. & Isaacus Genes. XXVI. 7. ad evitan-
dum periculum vitæ uxorem venditabat pro sorore, Ja-
cobus autem Genes. XXX. ob retentam a Labano merce-
dem instinctu Divino versicoloribus baculis gregem suum
prudenter augebat; partim verò ipsius Servatoris effato
adstrui potest, siquidem Luc. XVI. 8. & 9. non tantum di-
spensatorem iniquum eo, quod prudenter fecerit, laudat;
verum etiam statim hoc generale monitum subjungit: *Fa-*
cite vobis amicos ex Mamona injustitiæ, ut, cum defeceri-
tis, recipiant vos in æterna tabernacula.

Th. XVI. Nec aliud de jure Gentium obtinet, nam sic-
uti illud ad evitandas de re communi rixas, & tranquillita-
tem in humana societate conservandam privata rerum do-
minia inter se luxit L. 5. ff. de I. & I. adeoque meum a tuo di-
stinxit; ita etiam permittit quocunque honesto modo con-
servare non tantum, sed quoque augere illud, quod in utili-
tatem

tatem meam privatam constituit. Ut taceam, nihil prorsus obstare, quo minus in re familiari eadem, quæ de jure Gentium in bello licita sunt, stratagemata locum habere possint.

Th. XVII. De jure Civili verò res luce meridianâ clarior est. Quippe non tantum in L. 6. §. 7. & L. 24. in fin. ff. *Quæ in fraud. Credit.* prudentia utilitati suæ invigilandi fundata est; verum etiam variæ ubique traduntur cautelæ, quibus commodo nostro consulere possumus. Uti exempli gratia L. 19. §. 3. ff. *de Neg. gest.* cautelam suppeditat, qua quis actionem de evictione sibi conservare & alii causam agendi adversus se præcidere potest. *Vid. B. Dn. Brunnem. ad cit. L. 19.* atque L. 77. §. 3. *de Legat. 2.* consilium callidum suggerit, quo fiduciarius heres Trebellianicæ privationem metuens feliciter eandem avertere valet. *Conf. cit. Dn. Brunnem. ad d. L. 77.* Quid? quòd ipsa olim liberorum emancipatio, quæ per imaginarias venditiones & intervenientes manumissiones fiebat, Rationi status privati originem debet. Cùm enim pater filio emancipato non succederet, debebat ille aliam quærendam succedendi viam, & succedere eidem tanquam manuissor, exemplo patroni veri. Ut verò ab ipso patre commodè manumitti posset filius, per imaginariam venditionem redigebatur prius in servitutem, atque ita mancipatus mox iterum patri suo a fiduciario emptore vendebatur. *Vid. Coras. in Miscell. L. 6. C. 9. n. 6. & Myns. ad §. 6. Inst. Quib. mod. patr. pot. solv. n. 4. seqq.* Sic denique etiam ex Ratione Status privati a Romanis olim concubinatus inventus est. Qui enim ob nimios sumptus uxorem non solenniter domum ducere potis erat, ille commodiori via & sumptibus minoribus valebat sibi adjungere concubinam. Atque hac de re, operæ pretium est, audire Beatum Dn. Zieglerum *ad Grot. de I. B.*

1738
de I. B. & P. Lib. II. Cap. 5. §. 15. ita differentem: qui de
jure Civili permissus fuit concubinatus, conjugio proximus
fuisse videtur, imo dicitur etiam conjugium, sed inaequale
L. 3. C. de Nat. lib. quia scil. concubina ab uxore nonnisi
dignitate differt L. 49. §. 4. ff. de Legat. 3. Erant enim
concubinae plerumque vilioris conditionis mulieres L. 1. L. 3.
ff. de Concup. quae quidem peculiari conventionem etiam in
ipse domum deducebantur, sed id fiebat sine ritu nuptiarum,
& sola animi destinatione L. 4. ff. de Concup. L. 3. §. 1. de
Donat. int. V. & U. Et concubinatu illi ferè utebantur,
quibus matronam ducere grave videbatur propter appa-
ratum & sumptus, quibus tum opus erat. Cujac. in Papin. ad
L. 6. ad L. Jul. de Adult.


Th. XVIII. Præterea non tantum Jus Feudale per matri-
monium ad marganaticam 2. Feud. 29. & per jus primogeni-
turæ 2. Feud. 55. §. 1. vers. Præterea, verum etiam jus nostrum
Saxonicum Electorale vel eo ipso Rationem status privati
comprobat, dum injuria verbali affectis ad magnos proces-
sus & sumptus vitandos certo ac limitato modo retorsionem
concedit. Vid. Decis. Elect. 85. Ob in Verbal Injurien Sachen
die Retorsion zulässig? Et quamvis alias retorsio ista ideo,
quod vindictam privatam contineat, nec Divino nec Civili
jure licita esse existimetur Vid. Schütz in Compend. Lauterb.
ibiq. alleg. Dd. tit. de Injur. Attamen cum post Decisionem il-
lam injuriatus propter permissionem Principis non privata
amplius, sed publica autoritate injuriam in Electorali Saxo-
nia vindicet, idcirco vel ibi saltem, cessante nunc ratione
prohibendi, retorsio omni jure permissa erit. Verba au-
tem istius Decisionis, cum sint notatu maximè digna, illæ-
tis, ut confido, Astrææ Sacris hic in utilitatem proximi recen-
serè permissum erit. Suntque sequentia: weiln aber
die

die Rechtslehrer in dieser Frage / Ob der beschwerte und injurierte Theil dem Injurianten die Schelt-Wort mündlichen oder schriftlichen wieder in Busen schieben und retorquieren könne? mit einander nicht einig / in dem erliche solches als eine bloße verbotene privat-Rache / die andern aber vor ein defensions Mittel und Ehrenrettung achten / und durch diß Mittel öfters grosse Zeit und Geldspilierung / so bey den Klagen und Rechtlichen Verfahren an und aufzuwenden seyn / ersparet werden können: So sollen zwar in Unsern Landen dergleichen in Rechten zugelassene Retorsiones nochmahls verstattet werden / jedoch anderer gestalt nicht / als wann sie auff unverwandten Fuß / oder so bald der injurierte vernimmt und erfahret / daß er in seinem Abwesen geschmähet sey / geschehen / kein Excess darbey begangen / sondern ein moderamen gehalten / und die Retorsion etwan auff diese oder dergleichen masse / Daß dasjenige / was einem Schuld gegeben worden / verneinet / und daß ihm der injuriant unrecht und zu viel gethan / oder als kein redlicher Mann / die Wahrheit gesparet und hingegen die Unwarheit gebraucht hätte / oder / Er hielte ihn so lange selbst vor einen solchen Menschen / woyor Er ihn außgeben / biß Er es ihm bewiese / eingerichtet werden. Wann nun das geschmähete Theil nicht neue Injurien außstößet / noch Injurien mit Injurien häuffet / Auf solchen Fall soll die Retorsion in Unsern Landen unverbotten seyn / und der sich solches Mittels gebrauchet / seine Ehre dadurch gerettet; die Retorsio retorsionis aber / wenn der Retorquent in jetzt erzehlten terminis verbleibet / nicht statt haben.

Th. XVIII. Ceterum nunc etiam agendum foret de causis Rationis status privati administrantibus seu de mediis generalioribus, quorum beneficio homo prudens utilitatem suam promovere potest, uti sunt Pietas, Cognitio sui atque alterius, Conjectatio, Diffidentia, Simulatio & Disimulatio, Accommodatio atque Conciliatio animorum; Verum cum hæc singula peculiarem mereantur dissertationem, data occasione in publicum proditura, idcirco hic pedem figere atque coronidis loco non inutile distichon subjicere lubet;

Ut nulli nocuisse queas, imitare columbam;

Serpentem, ut possit nemo nocere tibi.



ULB Halle 3
003 891 534




f

Sb.

1017





SES (XVIII) 9M. — 1792
IA PRACTICA, 219
NE STA.
IVATI, 18
te Deo,
ni Philosophorum 2.
nis,
Albim Acadēmia
SES
IS ERNE-
Seebach /
Jur. Utr. Cand.
DENTE
TILEMANNO,
Misnico,
disquisitioni subjcit
An. M. DC. XCII.
2. C.
ERGÆ,
AELIS GODERITSCHII.